

IV.

QUANTAE SIT AD AUDIENDI LOQUENDIQUE COMMERCII UTILITATI LINGUA LATINA CONFOEDERATIS TANDEM EUROPAE CIVITATIBUS

Alii quidem, qui huic Conventui oratores aut interfuerint aut sint interfuturi, Latinam ceteris omnium gentium recentioribus linguis non solum nobilitate praestare, sed etiam ad audiendi loquendique commercium maximae esse utilitati, pro virili sua quisque parte, aut dixere, aut dicent; ipse vero, si pauca adhuc conferre ausim ad rem tantam aliis moliminibus confirmandam, molestiam ab iis, qui audiant, afuturam spero. Ceterum, ut audeam, S. Hieronymi verba suadent ex Prologo galeato has voces edentis: « In tabernaculum Dei » (hoc si nomine Latinitatem summo studio provehendam appellamus, veniam ex Stridonensi scriptore petimus) « offert unusquisque quod potest: alii aurum, argentum et lapides pretiosos, alii autem byssum et purpuram et coccum offerunt et hyacinthum; nobiscum bene agetur, si obtulerimus pelles et caprearum pilos ».

Haec pauca exorsus, velim statim exponere sinar, fieri posse — quod quidem a vero non abhorreere crediderim —, ut, confoederatis Europae Civitatibus, alius populus, suis denique cum alienis finibus coniunctis, ex alio quaeritet, quid forte impediatur, quin sua, prae aliorum, adhibeatur lingua. Nam Francigenae et ex necessitudine suam inter et Latinam linguam intercedente, et ex usu, post res civiles longe lateque mutatas armisque Napoleonicis subactos populos, accepto, sibi ius huiusmodi merito vindicabunt. Nec minus Germani, veterum Latinarum litterarum monumenta studio et acriore ingenio prosecuti, maiori fore usui linguam suam profitebuntur. Angli vero, et ipsi bene de Litterarum Latinarum provincia meriti, nullo modo adduci poterunt, ut linguam suam, qua maior in orbe terrarum humani generis pars utitur, aliis cedentem videant. Ad Italos autem quod attinet (nolim tamen sit iniuriae silentium, si hanc oratiunculam brevi verborum ambitu continendi causa tacere de paribus aliarum gentium iuribus cogar), ad Italos — inquam — quod attinet, quorum ex finibus profecta Romana humanitas in reliquis Europae easque dissitas partes ita diffusa est, ut urbem faceret, quod prius orbis erat ¹, causa esse non videtur, cur prohibeantur, quominus in hoc descendant praelationis certamen; cur e mente excidat, Italarum sermonem cotidianum propius linguae Latinae accedere; cur in oblivione sit Humanistarum inclita cohors, qui, praeeunte Francisco Petrarca, et huius, ut ita dicam, extremi agminis stipendia faciente Ioanne Pascoli, tam multa, tam praeclara contulere, quibus lingua Latina lacertos moveret et, tamquam sibi reddita iuventute, reviresceret ².

Nullum itaque dubium quin invidiarum stimuli exacuantur, nisi quis quaestionem de communi lingua confoederatis Europae Civitatibus adhibenda, patriae caritatis, utique laudabilis, fines excedere sibi persuasum habuerit.

Cuiusmodi contentionis componendae fore ut via facile aperiatur, dixerim, si gentes, quas quidem Romani nominis et moris adflaverit aura, Latinae linguae iam diu patria carenti totius Europae domicilium parandum curent. Ea est enim lingua, quae spem optimi iuris aleat, se populos, quos humanum civilemque cultum vivae,

¹ RUT. NAM., D. r. s. 1,66.

² FLOR., *Epit.* 1,8.



id temporis, vocis oraculo docuerit, audituros esse his adhuc verba sonis facientem: « Antiquam exquirite matrem »³.

Quae si verba audiantur, quanam tandem latinitate Europae gentes uti poterunt? Illane, quae perpolitibus veterum scriptorum orationibus est honestata, an, quae ex iisdem quidem radicibus enata est, alios vero ramos postea protulit? Est enim altera, quam classicam appellamus; et est altera, quam perennem dici nemo vetare audet. Illa quidem, Roma florente floruit, Roma decedente decidit, digna sane, quam nondum mirari quisquam desinat, siquidem hominibus civilis dederit consortia iuris, divino quodam ore mortales affata. Haec vero, quae numquam antiquae eloquentiae sanguine pasci destitit, quamvis ornatam orationis vestem exuerit et dicendi flores ac phaleras seposuerit, plana tamen, facilis, et verbis usa ad id aptatis, quod ad omnem animi motum vertitur et mutatur, hinc ex vetusta lingua formarum repetit descriptionem legibusque paret, quas ad construendum dictionum ordinem antiquitus accepit; illinc ex recentioribus linguis ea discit, quibus magis expedita vigeat, eaque discit, quibus, quo ditior fiat, ea excudat verba, quae rerum consuetudo forte postulet. Hanc videri posse dixerit quispiam, barbariem redolere, quandoquidem a puri sermonis integritate recedat, atque, cum verba continuentur, apte et numerose cadentem concinnitatem minus imitetur.

Sed, eo quod haec eadem latinitas perennis iis exprimendis magis accomodatur, quae, qua vivimus aetate, sentiuntur, itemque quod hominibus, qui litteris dediti sunt, se intellectui facilem praebet, utpote ex qua tamquam ex radice nostrarum linguarum densa plerumque silva pullulaverit, ea consequi valet, quae patria cuiusvis gentis lingua nec sibi arrogare, nec parta lucri facere poterit. Quid? Nemo est quin videat, quem Latinitas perennis locum obtinuerit, ea revirente aetate, qua Roterdami, Lutetiae Parisiorum, Patavii, Romae, Florentiae, Neapoli tam multi, operam cum Germanis, Hispanis, Anglis, Polonis consociantes, floruerunt, ut novis antiqua Latinitas auris vesceretur; ne proximae quidem illucescentibus aetatis saeculis pariterque occidentibus, neque diebus nostris defuere, qui, foras datis opusculis Latine scriptis, sive solutam sive numeris modisque adstrictam orationem secuti, strenue profiteri auderent, Romanorum esse linguam, cuius ope variae doctrinae copiam et assequi et vulgare possent. Quare minus hodie intelligitur, cur huic itineri tam luculenter aperto causae innectantur morarum, quominus in tacitum, in quod olim, coeatur unius labii foedus; et cur lingua Latina, ita posteritati tradita, ut perennis fieret, et ex complurium doctorum chartis Socraticis, Hippocraticis, Euclideis, Uranicis sine intermissione, in saecula, in annos, in dies ad renascendum idonea, novam semper verborum suppellectilem adepta, prohibeatur, quominus vel inter id genus disciplinarum peritos sit communis.

Legimus moderatorem Italici commentarii, *Cavour* appellati, inceptum in rem perduxisse, quo omnes dissertationes, e singulis libellis prodeuntes, Latine contraherentur; indeque exorta esse commentationum summaria, unde, qui legerent, quamvis Italici sermonis ieiuni, medullam tamen eorum, quae varie proponerentur, sibi compararent. Quod quidem inceptum, prospere, ut licet sperare, cessurum, non solum documento esse potest, quo sole clarius demonstratur, quam commode agatur, si omnium litteratorum virorum sit in ore, sit in auribus lingua Latina, fons scilicet ille, unde civilis cultus inter gentes communicandi derivantur aquae salubres; sed etiam suadet, ne philologiae peritissimo cuique fastidio sit linguae Latinae usus; quin immo, non quod auctor quisvis diffiteatur linguam, qua pro sua quisque patria usus erit, sodales

³ VERG., *Aen.* 3,96.

saltem superficie tenus cognituros, sed quo latius, quo uberius Latinae linguae diffundendae consulatur, commentationes latine scriptas et opuscula et libros in lucem deinceps edat. Nemo igitur infitias ibit, hoc esse in votis, quo maiore tandem honore tantam matrem prosequamur.

Novimus equidem popularium linguarum studium in dies augeri magis et invalescere; neque cuiquam invidendum erit, qui tantam in hoc negotium industriam conferat. At, si forte fiat, ut illud aliquando tempus adveniat, quo non plurimum Latina valeant, et patrius alicuius gentis sermo sit in Latini locum venturus, citius profecto in tam crebra imperiorum mutatione, in tam subitis rerum publicarum conversionibus, quantas et legimus, et audivimus et meminimus et vidimus, prius suam quisque dediscet linguam et peregrinae alterius nationis loqui sermone incipiet, quam aliis se speret gentibus sermonem suum inferre posse. Et licet sint, qui vernaculae solum blandiantur linguae, et, ut ait Lagomarsinius, hanc unam esse tamquam virgunculam elegantissimae omnium formae, unamque veluti procandam praedicient, spes tamen fovetur eos in posterum afore, qui Latinam linguam ut effetam aetate anum, turpem, rugosam, edentulam, deliram aversentur, exsibilent, insectentur. Nam linguarum omnium regina hoc in Conventu, hac illustrium virorum frequentia vocem nanciscitur, qua se a criminantium hominum defendere telis armisque possit.

OLYNDUS PASQUALETTI